



Venerabili Fratri
DOMINICO CALIANDRO
Archiepiscopo Brundusino - Ostunensi

Sicut olivam fructibus speciosam sacerdotale ministerium in fidelitate Domini comperimus esse radicandum, in qua et ea, quae hominibus videntur abicienda, aliquid necessarii operis inveniuntur habere: nam, Christi licet doctrinae prima litterae facies amarus quasi nucis cortex sit proicienda, secundo tamen loco ad moralem pervenitur doctrinam, custodiae eorum quae intrinsecus servantur necessariam et interioris hominis molimine frangendam; tertio demum reconditum invenitur mysteriorum sapientiae secretum, qui pontificalis est fructus esurientibus et sitientibus iustitiam promissus (Origenes, *In Numeros*, IX, 4). Qua spirituali collustrante veritate, dum de prosperitate ac salute universi dominici gregis cogitamus, tibi, Venerabilis Frater, libenter scribere volumus, quem scimus die XXVIII proximi mensis Iunii argenteum celebrantem ordinationis episcopalis iubilaeum, et singulari ergo animo tibi hac Epistula gratulationem Nostram propter diutinum ministerium tuum significare.

Titulorum in Theologia morali ac dogmatica una et Philosophia culmina adeptus de Verbo et homine perdiscens mysterium, presbyter apud nativam dioecesim Uritanam anno MCMLXXI ordinatus es. Pro cleri et populi bono sive parochi sive magistri navum exercuisti opus, ut, multis in his cumulatis meritis, propter benignas, quas exhibuisti, virtutes sanctus Ioannes Paulus II anno MCMXCIII te Episcopum Uxentinum - Sanctae Mariae Leucadensis nominaret et Benedictus XVI, clarus Decessor Noster, primum ad communitatem ecclesiam Neritonensem - Gallipolitanam te anno MM transferret ac denique ad Archidioecesim Brundusinam - Ostunensem, cuius etiamnum perseveras Pastor. In

illustri terra Salenti ergo apostolatus tui vere mersisti radices, in populo honorificato, sacerdos magnus effectus, qui in vita sua suffulsit domum et curavit gentem suam, quasi oliva pullulans fructibus se extollens (cfr *Eccli* 50, 1. 4. 10), eiusdem sacrum et celebrandum signum, cuius radices altius infiguntur firmae et frondes quasi supera petunt. Egregia decet Nos etiam memorare onera quae in certaminibus caritatis et evangelizationis in Conferentia Episcoporum sive Italiae sive Apuliae curas.

Hanc ergo praecipuam recolentes occasionem, qua famulatus tui episcopi repetimus memoriam, gratias reddimus Domino propter magnum divinae gratiae beneficium in te manifestatae et ea collaudamus quae, decurrentibus annis, alacri opere implevisti, fructum afferens evangelicae iustitiae, qui sunt caritas, gaudium, pax, patientia et reliquae virtutes in Christo Iesu innocenti, ad gloriam Patris, in quo sunt consequentia, consonantia, tempus aptum, ergo et utilitas.

Cupimus demum Benedictione Nostra Apostolica te comitari, quam tibi elargimur, deinde dilectis filiis filiabusque gregis Brundusini - Ostunensis omnibusque celebrationem iubilaei participantibus atque illis, quos caros in corde habes, communicandam, a quibus preces expostulamus, ut pergrave Petrinum munus diligenter et sapienter adimplere possimus.

Ex Aedibus Vaticanis, die XXX mensis Maii, anno MMXVIII, Pontificatus Nostri sexto.

Franciscus